

catione statuit : « Si quis dixerit... posse (hominem justificatum) in tota vita peccata omnia, etiam venialia, vitare, nisi ex speciali Dei privilegio, quemadmodum de Beata Virgine tenet Ecclesia, anathematizetur » (1). » Negavi præterea consequentiam, cum fieri possit ut quis peccatum originale non contraxerit, attamen in peccata venialia labatur, ut patet exemplo protoparentum, qui licet iustitia originali præditi fuerint, attamen non modo venialiter sed graviter etiam peccaverunt (2). »

58. En quomodo cum Patrum doctrina atque principiis optime consistat articulus de immaculata Virginis conceptione. Nullus adversariorum adhuc proferre potuit vel unum ex Patribus ante s. Bernardum qui docuerit diserte B. Virginem conceptam fuisse cum originali culpa; contra vero nos proferimus ante s. Abbatem Clarevallensem formulam catholicam hujus dogmatis, cujusmodi est, ceteris præmissis, adhibita a s. Paschasio Radberto sec. IX. dicente : « Constat eam (Mariam) ab omni originali peccato immunem fuisse (3). »

59. IV. Obj. Sed si divina traditio dogma reipsa contineret de immaculato Virginis conceptu, 1. qui fieri potuit, ut ejusmodi traditionem ignoraverint s. Bernardus, et scholasticorum plerique duce s. Thoma? 2. Eam ignoraverit integer sac. Prædicatorum ordo? 3. Quomodo sero adeo pia sententia in Ecclesia cæperit, et contraria sententia quæ hæcenus communis vel ab ipso Scoto acerrimo ejus oppugnatore dicta est, utpote innixa auctoritati Patrum, et communi sensui Ecclesiæ, utque Alvarus Pelagius Franciscalis adhuc ætate sua testatur, fuerit derelicta? 4. Sane quidquid statuerit Alexander VII., falsum est objectum festi conceptionis fuisse semper conceptionis immaculatæ. 5. Si vera

(1) Sess. vi. can. 25.

(2) Non debent inter se converti duæ hæc propositiones : « Qui concepti sunt in peccato originali non possunt in tota vita peccata omnia venialia vitare, » quæ verissima est, et « Qui peccatum originale contraxerunt, » quæ est falsa, ut patet ex Angelis et protoparentibus; qui cum iustitia originali peccarunt etiam graviter illamque amiserunt. S. Augustinus procedebat in suis disputationibus adversus pelagianos juxta veritatem prioris propositionis.

(3) In lib. De perpetua virginitate Sanctæ Mariæ et de ejus parturitione in Biblioth. Maxima Patrum Lugd. 1677. tom. xii. p. 566. col. 1. et 2. ut reliquos prætereamus qui æquivalenti formula usi sunt.

(4) Ita fere Anonymus Taurinensis in Proposta cit. Difficultà decima, decima secunda, decima terza.

(5) Ita alter Anonymus Taurinensis in cit. Lettera circa finem.

(6) En ejus verba prout referuntur ab ipso Anonymo, pag. 82. in nota : « Unde ergo conceptionis sanctitas? An dicitur sanctificatione preventa, quatenus jam sancta conciperetur, ac per hoc sanctus fuerit et conceptus, quemadmodum sanctificata jam in utero dicitur, ut sanctus consequeretur et ortus? Sed non valuit antea sancta esse, quam esse : siquidem non erat antequam conciperetur. An forte inter amplexus maritales sanctitas se ipsi conceptioni immi-

esset doctrina de Conceptione immaculata, deberet assignari epocha erroris seu doctrinæ contrariæ, quod fieri nequit, cum hæc sola vera s'it, quæ præscripsit errori piæ sententiæ. 6. Hinc patet nullam prorsus habendam esse rationem universalis, ut decantatur, Christi fidelium tanta ignorantia laborantium consensus, consensus romanorum Pontificum, Episcoporum omnium hujus ætatis qui novitati patrocinantur contra veritatem assertam de maculato conceptu B. Virginis per duodecim secula. 7. Qui propterea immaculatæ Conceptioni refragantur pro se habent tres illos characteres a Vincentio Lirinensi veritati assignatos antiquitatem, universalitatem, consensionem, adhærent veteri Ecclesiæ intemeratæ (4), non autem novæ in errorem inductæ, seu potius sententiæ hominum Ecclesiæ nomine abutentium, aut 8. Pontificis sibi arrogantis infalibilitatem quæ uni competit Ecclesiæ universali, qui novum dogma definire sibi assumpsit (5).

60. Resp. Ad 1. D. In adversariorum hypothesi, quod reipsa s. Bernardus et s. Thomas inficiati fuerint immaculatam passivam, quam vocant, Conceptionem, et ad eam inficiendam permoti fuerint documentis traditionalibus, C. Si adducti fuerint argumentis potius rationalibus in hypothesi quod eam negaverint, N. Uti usuerunt in hisce levibus ac temerariis jansenianaque ut plurimum labe infectis Ecclesiæ censoribus, veluti exploratum ipsi assumunt hosce doctores passivam Virginis Conceptionem de qua disserimus adortos fuisse; attamen plura sunt eaque non pauca rationum momenta, quæ contrarium suadeant. De s. Bernardo licet ambigere, quum ipse aperte loquatur de tempore quod præcessit generationem, ac de eo quod eam comitatur (6) : porro nemo est catholicorum qui hoc sensu san-

scuit, ut simul et sanctificata fuerit et concepta? Nec hoc quidem admittit ratio. Quomodo namque aut sanctitas absque Spiritu sanctificante, aut Sancto Spiritui societas cum peccato fuit? aut certe peccatum quomodo non fuit, ubi libido non defuit? ... Si igitur ante conceptum sui sanctificari minime potuit, quoniam non erat; sed nec ipso quidem conceptu propter peccatum quod inerat; restat, ut post conceptum in utero jam existens sanctificationem accepisse credatur, quæ, excluso peccato, sanctam fecerit nativitatem, non tamen et conceptionem : »

« Quamobrem, etsi quibusdam vel paucis filiorum hominum datum est cum sanctitate nasci, non tamen et concipi, ut uni sane servaretur sancti prærogativa conceptus, qui omnes sanctificaret solusque absque peccato veniens purgationem faceret peccatorum » ep. clxxiv. ad Canon. Lugdun. n. 7-8.

Ex his discimus 1. s. Bernardum manifeste de unica conceptione activa esse locutum.

2. Vocasse actum generationis per concupiscentiam peccatum.

3. Neminem concipi sine peccato, quatenus nemo sine concupiscentia generatur.

4. Hæc de causa B. Virginem inficiatum esse sine peccato conceptam, id est sine libidine ex parte parentum.

5. Ideo solum J. Christum conceptum fuisse sine peccato, quatenus solus sine virili complexu conceptus est.

ctum et immaculatum tueatur Virginis conceptum, cum anima nondum ejus fuerit infusa corpori, nec propterea gratia sanctificante ornari potuerit (1). De s. Thoma idem dicendum, qui loquitur de sanctificatione animæ B. Virginis post conceptionem fœtus, ac propterea cum corpori infusa est, quæ quidem infusio ac sanctificatio non quidem tempore sed ordine ac natura posterior fuit ipsius animæ creatione, cum prius prioritate ordinis aliquid debeat esse seu existere quam aliquo dono decorari. Et sic obscura ejus loca in quibus Angelicus Doctor contrarium piæ sententiæ adstruere videtur apprimè dilucidari possunt (2). Eo vel magis quod clarissima ac decretoria sint ejus verba quibus adstruxit immunitatem in Virgine ab omni originali et actuali vitio : « Talis fuit puritas Beatæ Virginis, quæ peccato originali et actuali immunis fuit (3). »

61. Ceterum neuter, etiam in adversariorum hy-

6. S. Doctorem, quod consequens est, nec attigisse quidem quæstionem nostram, adeoque sine ullo motivo eum nobis objici.

At vero Anonymus adoritur distinctionem inter conceptionem activam et passivam sub prætextu quod ipsa non sit veritas revelata scribens : « Volendo demonstrare che è verità rivelata, che la B. Vergine non ha contratto il peccato originale nella concezione passiva, bisognava prima che dimostrasse, essere una verità rivelata che l'uomo ha due distinti concepimenti e che nel passivo riceve il peccato originale, per poter poi dimostrare con altre prove della rivelazione che Maria ne fu eccezzuata. Ciò non ha fatto il Perrone, e per conseguenza tutto il suo ingegnoso argomento rovina da se, conciossiachè appoggi sopra un falso supposto : talchè siccome quella distinzione non è più che un' opinione umana, si può dire che tutto il lavoro del Perrone viene a dimostrare che la Concezione di Maria è un articolo di fede rivelato da Dio, perchè i Theologi avendo insegnato due distinte concezioni, hanno fornito il modo come spiegare le testimonianze de' Padri che insegnano il contrario. » (pag. 118.)

Ast pace adversarii, ejus argumentatio multiplici ex capite peccat.

Ac 1. Quod assumat non posse haberi conclusionem theologiam, quando una ex propositionibus sit revelata, et altera tantum moraliter certa, quod est falsum. Sane, en palmare argumentum : in divina revelatione habetur Christum s. Petro contulisse primatum super universam Ecclesiam : est veritas moraliter certa, Petrum Romam venisse ibique mortuum esse, cum esset episcopus Romanus. Ergo de fide est Rom. Pontifices Petro successisse jure divino in ejus primatu. Equis catholicorum hanc conclusionem negaverit esse de fide, quia minor propositio non est revelata, sed solum moraliter certa?

2. Assumit non esse moraliter certum dari distinctionem inter conceptionem activam et passivam; ast si vana est distinctio, ergo una cum humano semine funditur anima in generatione, quod hæreticum dixit s. Thomas.

3. Assumit Patres contrarium docuisse sententiæ immaculatæ conceptioni, quod ostendimus esse falsum.

4. Assumit adsertores immaculati conceptus inferre hunc articulum esse revelatum, quia invenerunt modum explicandi ss. Patres, quod nemo somniavit. En ejus ponderis sit Theologus hic Taurinensis!

(1) Atque hoc est quod aperte docet Alexan-

der VII in Constitut. Sollicitudo omnium ecclesiarum decernens : « animam Beatæ Mariæ Virginis in sui creatione et in corpus infusione, Spiritus Sancti gratia donatam, etc. » Quibus luculenter designat immunitatem B. Virginis a peccato originali in conceptione passiva, prout distinguitur ab activa, seu a generatione carnali.

(2) Sane ita exponunt mentem Aquinatis celeberrimi Thomistæ, Joannes a s. Thoma, Natalis Alexander, Ven. Seraphinus Capponi a Porrecta, Gaudin aliique non pauci, qui hæc ratione componunt inter se dicta et principia ejusdem Angelici Præceptoris, quæ repugnare prima fronte secum videntur.

(3) Comment. in 1. Lib. Sentent. Dist. 44. §. 5. art. 5.

(4) Id patet ex eorumdem Doctorum perlustratione; addatur præterea, quod jamdiu animadvertit Bellarminus, ætate illa, nonnisi pauca monumenta, quæ postea detecta sunt ex utraque Ecclesia Orientali et Occidentali, suppetisse, quæ il i nec nosse nec discutere potuerunt, prout postea factum est. Cf. nostram Disquisitionem Theologicam Part. II. cap. V.

(5) Ut plurimum deterriti sunt scholastici ab adstruenda pia sententia ex argumentis deductis a necessitate redemptionis, a notione quam sibi elaboraverant de concupiscentia, de peccato originali natura, aliisque ejusmodi, ac vix recurrerant ad veros fontes veritatis; quod nonnisi insequentibus seculis a nonnullis pertentatum est. Cf. nostram Disquisitionem Theologicam p. I. cap. xv. §. 4. et p. II. cap. v. cit. ed. Taurin. pag. 108. et p. g. 185. in nota.

(6) Cf. egregium opus P. M. Francisci Gaude Ord. Præd. Pontificii Seminarii Pii in Urbe Rectoris De immaculato Deiparæ conceptu ejusque dogmatica definitione in ordine præsertim ad scholam Thomisticam, in quo eruditus Auctor ostendit nunquam contrariam sententiam propriam fuisse Ven. Ordinis Prædicatorum, neque Thomisticæ scholæ; quinimo præclarissima ejusdem Ordinis lumina, viros nempe qui ex triplici titulo sanctitatis, dignitatis et doctrinæ eminerunt, piæ adhæsisse sententiæ eamque strenue propugnasse. Cf. etiam hanc ipsam in rem cl. P. Marianum Spada ejusdem Ordinis in op. quod ante dogmaticam definitionem publici juris fecerat, inscripto : *Esame Critico sulla dottrina dell' Angelico dottore s. Tommaso di Aquino circa il peccato originale relativamente alla B. Vergine Maria*. Hæc commemorare volui ut novum observantiam meam erga inelytam hanc familiam cui non uno nomine obstrictum me profiteor, exhiberem testam-



ita se gessisse traditioni innixos, sed aut angelici Doctoris auctoritate fretos, aut motivis theologicis superius recensitis, qui deinde quotquot potuerunt testimonia congeserunt Patrum ad muniendum proprium placitum, ne iis penitus destituti viderentur, quæque interpretati sunt in favorem propriæ sententiæ.

63. Ad 3. Negamus falsum suppositum adversariorum, quod scilicet sero pia sententia in Ecclesia cœperit, sed adeo antiquitus obtinuit, ut ejus documenta suppetant vel a primis Ecclesiæ seculis, uti ex probationibus constat. Sola formula enunciationis ejusdem sententiæ, aliquo sensu sero inducta dici potest, non res per cam expressa, prout accidit in aliis plerisque dogmatis (1). Ideo vero a Scoto sententia contraria *communis* dicta est, quod scholastici de ea disceptaverint non freti documentis traditionalibus, quæ illorum ætate vix agnoscebantur sed ex theologumenis apud eos receptis, cum quibus profecto veritas piæ sententiæ vix aut nullatenus conciliari poterat, et ut avis avim sequitur sic alii alios exscribent, ut eos legenti patebit; utrum vero auctoritati Patrum ac sensui Ecclesiæ (2) fuerit innixa doctrina de maculato Virginis conceptu jam vidimus, neque contrarium unquam persuadere poterit Alvarus Pelagius, qui anticipatis judiciis abreptus nullum non movit lapidem, ut suaderet, persuaderetque nonnisi festum *de sanctificatione* Virginis in Ecclesia obtinuisse contra historiæ veritatem (3).

64. Ad 4. Juxta Jansenianorum placita, C. juxta rei veritatem, N. Equis enim sine ingenti insignique temeritate audeat Rom. Pontificem accusare quod aut ex malitia aut ex ignorantia, universam Ecclesiam alloquendo, falsum protulerit in re tam gravi ejusmodi est objectum cultus Conceptionis

nium. Ceterum notum est et ex Franciscanorum Ordine, aliisque religiosiis familiis, tum ex Clero Seculari olim aliquos in piam sententiam insurrexisse.

(1) Cf. ibid. P. I. cap. x. cit. efl. p. 54. Profecto formula de Verbo Patri *ἡμῶν* nonnisi a Nicænis Patribus tuit adserta IV. seculo; formula de unica in Christo persona consecrata non est nisi in concilio Ephesino sec. V. quo pariter seculo alia consecrata est formula *de duabus naturis in Christo distinctis impermixtis et inconfusis* in conc. Chalcedonensi, et ita porro, quamvis eadem veritates semper vigerint in Catholica Ecclesia.

(2) Hosce Scholasticos a sensu Ecclesiæ abluere exinde patet, quod dum ipsi acriter inter se disceptarent, in Ecclesia cultus de conceptione Virginis immaculata magis ac magis dilataretur. Cf. ibid. p. I. cap. XIII. et p. II. Cap. V. circa finem.

(3) Cf. ibid. p. I. cap. XV. § 3. in nota quæ de hac Pelagii Alvari affirmatione scripsimus, cit. edit. p. 99.

(4) Cf. Benedictum Piazza in cit. op. *Causa immaculatae conceptionis* Act. v. art. I. ubi criticè rem discutit. Ille ipse auctor expendit testimonia XXV. Pontificum qui fovuerunt et promoverunt piam sententiam et cultum Virginis immaculatae, quibus alii septem vel octo adjiciendi sunt.

(5) Atque heic obiter notandum est ut plurimum ejusmodi Sedis Apostolicæ impignatores et obtre-

B. Virginis? Frustra Alexandro VII. opponuntur ab adversariis Innocentius III. Innocentius V. et Clemens VI. cum nec directe opponantur affirmationi Alexandri VII. et eorum nondum explorata sententia sit, et quidem petitur ex sermonibus ab eis confectis ante Pontificatum, admissa etiam illorum *veritate* seu authenticitate (4): et hoc fit ab hominibus privatis nullius momenti, et inflatis, non dicam scientia qua non pollent, sed existimatione sui, et juxta proprium sensum, qui se in magistros graviter erigunt.

65. Ad 5. D. Si ageretur de errore vel hæresi formali, C. Si de errore materiali qui non inolevit nisi ex falsa opinione quæ pedetentim obtinuit præsertim a sec. XII. et deinceps, N. Certe sententia de conceptu maculato B. Virginis in se omnino error est, utpote contraria veritati, immo addam et hæresis est, utpote contraria fidei catholicæ: sed uti talis neque cognita, neque habita est nisi post dogmaticam Rom. Pontificis Pii IX. definitionem. Adeoque ante id temporis etiam ex Rom. Pontificum decretis vetitum fuit privatis hominibus aut scholis illam sententiam aliqua censura notare. Itaque habebatur veluti opinio improbabilis quidem et falsa, non autem ut aperte erronea et hæretica. Initiim autem cœpit ex occasione celebris episcopi Bernardi ad canonicos Lugdunenses, et paulatim a latipulatores habuit non paucos scholasticos, donec re magis ac magis eliquata, eadem proportione qua decreverunt et numero et pondere illius fautores, in dies et numero et auctoritate creverunt qui pro pia steterunt sententia; ita ut illi nonnisi paucissimi facti fuerint, agentibus præsertim Romanis Pontificibus, qui veritatis sunt depositarii, custodes ac interpretes divinæ traditionis et Ecclesiæ doctrinæ (5).

ctatores in animum induxisse suum Rom. Pontifices leviter decreta sua edere ac sine matura rei totius disquisitione. At falluntur quam maxime. Siquidem antequam decretum aliquod emittant, rem qua de agitur subjiciunt disquisitioni severissimæ; omnia perpendunt, nec sine exquisita, imo exhausta diligentia, tandem aliquid decernunt. Sit exemplo definitio dogmatica de qua agitur data a Pio IX. Hic summus Pontifex jam aban. 1847. Romæ instituerat *commissionem* ad maturandum hoc negotium; hanc instauravit Cajetæ antequam literas suas Encyclicas daret; consuluit seu interrogavit episcopatum universum; Romam reversus duplicem iterum Theologorum instituit *Commissionem*, generalem alteram, alteram specialiam; singulorum suffragia typis mandavit, ut excuterentur ac momenta sive faventia sive contraria ponderarentur, sæpe consultores adunavit; commissio specialis per duos continentes annos coram doctissimo Cardinali diligentissime quoad ejus fieri potuit, omnia excussit; istorum labor congregationi generali iterum iterumque excutiendus commissus est; deinde vero Congregationi Cardinalium ad id delectorum, postea *Commissio* specialissima instituta quæ per aliquot menses ad trutinam totum negotium revocavit; invitavit episcopos ex toto orbe catholico ut Romam venirent, ac rursus res publice per dies aliquot ad plures horas discussa fuit. Suffragia decem voluminibus comprehensa singulis distributa donec tau-

66. Ad 6. D. Quoad eos qui nullam fidem habent neque Ecclesiæ veteri neque Ecclesiæ novæ, sed proprio tantum sensui indulgent, C. quoad eos qui vere catholici sunt ac propterea non propria persuasione, sed Ecclesiæ magisterio reguntur, N. Plura congerunt adversarii quos impugnamus quæ cum germana Ecclesiæ catholicæ notione componi nequeunt, cum nonnisi jansenianis principiis innitantur, ac I. quod universi Christi fideles crassa laborant ignorantia in rebus fidei, secus ac contigerit beatis primis Ecclesiæ seculis, quando fideles erant totidem fere doctores (1). 2. Quod distinguant inter Ecclesiam veterem et Ecclesiam novam, quatenus illa erat intemerata, hæc autem ignorantia et erroribus commaculata, quasi nempe Christus non promiserit quotidianam adistentiam suam Ecclesiæ a se fundatæ usque ad seculi consummationem, et una eademque non sit *Ecclesia vetus et Ecclesia nova*, quod sapit protestantismum, et hæreticale est (2). 3. Quod vera existat pugna in dogmatica doctrina inter Pontifices recentiores ac vetustiores, inter vigentem episcopatum et episcopatum antiquum, quod pariter erroneum est (3). Quod post duodecim secula fuerit in Ecclesia fides immutata, quod hæreticale plane est. Attamen hæc omnia absorta, hæretica et absurda sibi devorant anonymi Taurinenses ut impugnent dogmaticam de immaculata B. Virginis conceptione definitionem. Ad has angustias se redigant necesse est homines ejusmodi, scientia, qua se solos præditos putant, inflati: sed vera scientia veræ fidei nunquam adversatur.

67. Ad 7. Neg. Refragatores quippe immaculatæ Conceptionis non habent pro se sive *antiquitatem*,

dem perventum est ad edendas litteras apostolicas de immaculato B. M. V. conceptu. Attamen anonymi nostri Auctores se erigunt in magistros et episcopatus ac Sedis Apostolicæ!

(1) En verba Auctoris *Protesta* pag. 166: « Se giustamente nei primi tempi della Chiesa si ricorreva nelle controversie di fede al sentimento dei Christiani, che erano sì ben instruiti e ripieni dello Spirito di Dio, sancti in una parola, mentre mancavano i documenti scritti comprovanti la tradizione apostolica; ora, che vi sono a dovizzia, sarebbe cosa ben strana voler giudicare di una apostolica tradizione piuttosto dal sentimento generale dei fedeli dopo diciotto e più secoli, caduti in tanta ignoranza e corruttela, trapassando ciò che ne scrissero i Padri e tutti gli antichi. » En quomodo hic assumat prætermitti quæ Patres et alii antiqui Scriptores hac de re scripserunt; assumat actualem fidelium universalem ignorantem circa veritates catholicas et corruptelam, ad discrimen felicitatis ac beatae Ecclesiæ primorum seculorum; attamen fideles illi et isti edocti erant ac sunt ab Ecclesiæ pastoribus.

(2) Longum esset velle ejusdem Auctoris verba proferre; contenti erimus his paucis: « Ecco pertanto come la sentenza del maculato concepimento della Vergine ha per dodici secoli manifestissimi i due caratteri della verità cattolica, quod ubique, quod ab omnibus, nei quali agguaglia e supera la pia sentenza, la cui universalità non ha più di due secoli.... la così detta pia sentenza, se ora è generatissima, vogliasi o non vogliasi è una novità di-

sive *universalitatem*, sive *consensionem*. Fieri enim nequit ut habeantur de aliquo doctrinæ catholicæ articulo actualis universalitas, et consensio actualis in Ecclesia, prout prolitentur adversarii nunc temporis, imo a duobus seculis haberi in doctrina de immaculata Conceptione, quin habeatur etiam antiquitas: alioquin Ecclesia universa fidem suam immutasset contra Christi promissa. Hujusce vero antiquitatis præterquam quod luculenta documenta suppetunt, ex Patribus, liturgiis, diebus festis, aliisque ejusmodi, vadem habemus ipsum traditionalem sensum, qui magis ac magis jugiter in Ecclesia explicatus est donec eam impleverit. Ecclesiam porro asserere ætate hac nostra temeritatem errore contra fidem, hæretica est propositio; idem dic de altera affirmatione de hominibus scilicet Ecclesiæ nomine abutentibus, cum sub *hominum* denominatione universus episcopatus ac Romanus Pontifex una cum christiano grege designetur. Si hi Ecclesiam Christi non constituunt, equibusnam constituetur Ecclesia nisi a quibusdam arrogantibus ac pertinacibus perduellibus sacerdotibus, qui sibi munus vindicant universam Ecclesiam docendi? Romano porro Pontifici non competere infallibilitatem cum definit ex cathedra in rebus fidei ac morum, sin minus hæreticum est, saltem temeritatis fines omnes excedere exploratum est. Accedit quod in casu nostro non jam solus Rom. Pontifex aut cum paucis omnino episcopis, sed universo Episcopatu assentiente, imo vero etiam potentè, dogma de immaculato Virginis Mariæ conceptu, universoque plaudente ac gestiente christiano orbe definierit. Nonnisi nocturna aves ei obstiterunt quæ luce offenduntur (4).

venuta universale (p. 170. seq.) Ergo veritas obscurata est in Ecclesia. Porro Pius VI. in Constit. *Auctorem fidei* hanc damnavit propositionem LXXXVIII. pseudo-synodi Pistoriensis: « Propositio, quæ asserit, postremis hisce seculis *sparsam esse generalem obscuratorem super veritates gravioris momenti, spectantes ad religionem, et quæ sunt basis fidei et moralis Jesu Christi.* — HÆRETICA. »

(3) En rursus arogantis ac janseniani hominis verba pag. 175. cit. op. *Protesta*. « Vedrassi che ai pochi Papi ultimi che la (pia sentenza) favorirono stanno contro tutti i Papi di molti secoli, ai Vescovi d'oggi tutti i Vescovi antichi, ai dottori moderni gli antichi teologi, tutti i santi Padri, e con essi gli Apostoli ammaestrati da Gesù Cristo, a un tempo solo tutti i tempi passati della Chiesa. » Et en Ecclesiam universam in hæresim lapsam!!!

(4) Tales sunt nonnulli obscuri homines in Subalpinis, in Gallia, in Hispania, quorum clamores jam ventus disperdidit. His pseudo-cat. oleis opportunus ad pleniorum eorum confusionem confessionem ingenuorum protestantium in favorem hujus catholici dogmatis. Cum enim nonnulli protestantes pietistæ, ad instar quatuor sacerdotum tiensium, qui protestati sunt adversus definitionem ab an. a Pio IX. eo quod non ab *œcumenico Concilio* fuerit edita, debacchati fuerint, sic ab *Ephemeride Ecclesiastica* germanica die 9. Decembris 1854. objurgati sunt juxta versionem gallicam in *Univers* 20. Jan. 1855: « Pourquoi tout ce tapage du côté des orthodoxes protestants? Cette croyance (à l'immaculée Conception) n'est que la conséquence nécessaire et



68. Ad 8. D. *Novum* dogma respectu formalis definitionis, C. respectu sui N. Qui loquuntur de novo dogmate ostendunt se plane ignorare quid dicant. Ecclesia enim aut Romanus Pontifex nullum novum dogma edere potest, sed potest novam de veteri veritate definitionem edere, prout contingit in definitionibus omnibus ac singulis, quæ conc. Nicæno usque ad Tridentinum editæ sunt adversus hæreticos, qui veritatem adorti erant. Quæ quidem definitiones singulis fere seculis ab Ecclesia data: in adversariorum sensu totidem *nova* dogmata appellanda essent. Serio affirmare quod Ecclesia novum dogma credendum proponat, hæreticum foret. Dixi *Serio*, siquidem haud ignoramus interdum a nonnullis aut leviter aut inconsiderate ex linguæ lapsu dictum fuisse novum fuisse a Pio IX dogma

très-naturelle de leur propre système, et il faut s'étonner que (chez les catholiques), la définition n'ait pas eu lieu plus tôt, et que l'orthodoxie protestante elle-même ne l'ait pas proclamée depuis longtemps... *Les racines du dogme de l'Immaculée Conception de Marie s'étendent en effet jusqu'au fond de leur système dogmatique, et montrent à la fois les côtés faibles et la corruption de l'Eglise évangélique. Au fond il s'agit du fait historique de la personnalité sainte et Immaculée de Jésus-Christ...* Si l'on n'est pas d'avis de réviser de fond en comble la théorie du péché originel, il n'y a d'autre parti à prendre qu'à imiter les catholiques en niant l'influence du péché originel sur la nature humaine du Christ; cela conduit à libérer aussi la mère, c'est-à-dire à affirmer qu'elle aussi a été conçue sans la tache originelle. Voilà ce que l'Eglise Romaine fait de nos jours, non pas arbitrairement, mais poussée par la force d'une conséquence nécessaire. Aussi n'est-il pas possible de croire que Rome puisse refuser sa sanction au dogme de l'Immaculée Conception. Ces choses, en ce moment, semblent peut-être n'avoir aucune influence directe sur l'Eglise évangélique, mais on verra bientôt les théologiens de l'orthodoxie protestante acculés à la nécessité de reconnaître enfin ce qui est renfermé dans leurs propres principes, dont l'Eglise Romaine ne fait que réaliser une conséquence, et qui tôt ou tard ramèneront nos orthodoxes au culte de la Vierge. » Hactenus illi, qui licet utpote acatholici, non omnino recte loquantur, tamen pudore replere debent Auctorem libelli, qui nuper ab aliquo se catholicum dicente produit in Hispania *De nullitate dogmaticæ definitionis de Immaculato Conceptu B. V. factæ a Pontifice Pio IX. nec non Auctores anonymos Taurinenses, Laborde aliosque ejusmodi veluti catulos*

constitutum Porro longe alia istis mens est ab adversariis quos impugnamus, qui contendunt veritatem nostram in divina revelatione haud contineri.

69. Ut igitur rem totam absolvamus, ex dictis unicuique patebit quam firma sint, quæ ab Ecclesia credenda proponuntur, ut ejus impugnatores necessario confugere debeant ad principia protestantica ac jansenistica, ut ea adorianur: ad principia nempe illa, quæ si vera essent, sequeretur a pluribus seculis veram Christi Ecclesiam periisse, ac propterea falsum esse christianismum utpote fundatum ab eo qui mentitus fuerit, aut minime idoneus extiterit ad pollicitationes suas servandas; quod vel cogitatu horrendum est.

huc illucque discurrentes atque oblatrantes. Ceterum totius Orbis Christiani plausu ac lætitia exceptum esse dogmaticum decretum de immaculato B. Virginis conceptu patet ex episcoporum documentis, ex festis, novendialibus, triduis ubique locorum ingenti gaudio in Deiparæ immaculatae honorem celebratis, ex monumentis Romæ ac alibi erectis ad perennandam illius memoriam, aliisque publicis Christi fidelium demonstrationibus, cujusmodi sunt numismata ex ære, ac auro cusa, altaria erecta, academia instituta, sodalitates ac religiosæ familiæ ejusmodi titulo decoratae, etc. Quæ quidem omnia, aut præcipua saltem, breviter non minus quam eleganter complexus est P. Ant. Angelini S. J. in hoc Rom. Collegio Sac. eloqui. Profess. insequenti inscriptione quæ edita est in collect. cui titulus — *Solenne Adunanza in onore della Immacolata Concezione tenuta dagli Arcadi in Campidoglio. Roma 1835.*

*Sera . Posteritas  
Romanum . Suscipiat . Pietatem  
Narretque . Postgenitis . Lætitiâ . Et . Studium  
Certatim . Orandi . Magnam . Dei . Parentem  
Labis . Primæ . Exortem  
Sollemnia . In . Triduum . Instaurata  
Ædes . Sacræ . Cultu . Splendidiore . Renitentes  
Aulæ . Versicoloribus . Lemniscis . Et . Velis . Protectæ  
Aræ . Millenis . Facibus . Lychnisque . Laureatis . Radiantes  
Concentus . Divini . Liquidus . Modulati  
Sacris . Ritu . Augustiore . Operatum  
Laudatio . E . Pegmate . A . Dissertissimis . Pronunciata  
Poetarum . Flores . Lectiores . Excerpti  
Docta . Et . Laboriosa . Volumina . Edita  
Urbs . In . Gaudium . Effusa  
Vix . Et . Fora . Ad . Multam . Noctem . Collocantia  
Limbi . Et . Peristromata . Præ . Domibus . Suspensa  
Quid . Non . A . Virgine . Opifera . Sperandum .*

FINIS TOMI POSTERIORIS.

*Vide Indicem pag. 1435.*



